



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

65. An testimonium duarum fæminarum sufficiat ad carcerationem
Confessarij sollicitantis? Et an sufficiat ad condemnationem huius criminis
duarum fæminarum testimonium? Ex p. 4. tr. 5. res. 55.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

RESOL. LXIV.

An hoc crimen sufficiens probetur per testimonia duarum feminarum?

Et an ex unius feminae quantumvis honeste delatione non sit Confessarius in carcerem detrudendus? Ex p. 1. tr. 4. Ref. 18.

Sup. hoc in §. 1. A. Affirmative respondet Paramus de origine Inquisit. lib. 3. q. 10. n. 158. & 165.

2. Sed contrariam sententiam, & merito, docet Sanctarellus tract. de heresi. c. 44. dub. unico, n. 6. Peyrinus de privil. Minimerum, tom. 2. Constit. 4. Greg. XV. §. 8. num. 2. Bonac. tract. variar. disp. 6. punct. 3. num. 26. Ioannes Sancius in Selectis, disp. 11. num. 46. & alij. Ortiz vero in summa, cap. 24. n. 11. tres feminas ait sufficere: quatuor tamen exposcit Acugna de Confess. sollicit. quest. 23. num. 11. qui etiam num. 27. docet, ex unius feminae, quantumvis honeste delatione, non esse Confessarium in carcerem detrudendum. Vide etiam Barbosam in Confess. sollicit. post Flor. Inquisit. fol. 231.

3. At ego puto, hæc omnia remittenda esse iudicio, & prudentiæ Dominorum Inquisitorum, qui considerare debent circumstantias, & qualitates, tam feminarum denunciantium quam Sacerdotum, qui accusantur. Sed circa præsentem questionem vide Constitut. Gregor. X. V. in §. 7. & plura apud nostrum Molfesium in summa, tom. 1. tract. 7. c. 24. n. 36. & seq.

RESOL. LXV.

An testimonium duarum feminarum sufficiat ad condemnationem Confessarii sollicitantis?

Et an sufficiat ad condemnationem huius criminis duarum feminarum testimonium? Ex part. 4. tract. 5. Refol. 55.

§. 1. Negativè sententiam docet Acugna de Confess. sollicit. quest. 23. num. 9. si complices fuerint; & Soula opus. de Confess. sollicit. tract. 2. cap. 21. conclus. 4. n. 8. docet, quod nisi feminae sint probatae vitæ, & famæ, non sufficiunt duæ deponentes de diversis actibus ad incarcerationem Confessarium, sed ad minus tres requiruntur, unde Aloysius Borjola de Confess. sollicit. quest. 15. Sic ait: Ut Inquisitores procedant contra Confessarios, prius constare debet de delicto per duos testes saltem fide dignos, quod etiam docuit Molfesius ubi infra. Sed ego puto cum Ioanne Sancio in select. disp. 11. num. 47. hoc remittendum esse iudicio Inquisitorum, qui qualitates & mores denunciati, & denunciantium prudenter debent inspicere; exillimo tamen absolute contra Cantaram in qq. crim. cap. 2. de probat. per testes, quest. 1. num. 47. ex unius feminae quantumvis honeste delatione non esse Confessarium in carcerem detrudendum, & ita tenet Freitas in addit. de Confess. sollicit. quest. 4. num. 27. & Soula ubi supra, dum asserit, quod talis Confessarius iuste possit incarcerari si duæ feminae probatae vitæ adversus illum denuntiaverint, ergo secundum Soulam una non sufficeret, quod etiam aperte docet cap. 21. num. 6. prædicta tamen delatio erit sufficiens ad inquirendum, quod si per Inquisitionem apparuerit, ut rectè observat Freitas loco cit. num. 28. Confessarium levem, seu potius malæ vitæ esse poterit & tunc capi; & ideo Molfesius in summa tom. 1. tract. 7. cap. 5. num. 39. sic ait. Dum est sola denunciatio, vel depositio mulieris sollicitatæ ad turpia,

Sup. hoc in cels. præterita; §. 8. Sed in fine, & infra in tr. 11. ref. 21. §. Sed hæc à lin. 5. verbi. Nam si.

quæ sit bonæ famæ, Domini Inquisitores verbotenus se informant de qualitatibus Confessarii, si alius inquisitus sit de similibus, nam in pari qualitate prævalet Confessarius, ut ab iisdem Dominis audiui, & ita servatur in praxi. Sic ille.

2. Ex quibus inferitur esse reprobandam opinionem Parami lib. 3. de orig. Inquisit. quest. 10. num. 158. & 165. qui asserentis, sufficere ad condemnationem huius criminis duarum feminarum testimonium: sed adversus hanc sententiam, & merito, insurgit Acugna de Confess. sollicit. quest. 23. à num. 4. Peyrinus de privil. Minim. tom. 2. constit. 4. Gregor. XV. §. 8. n. 2. Soula loco citato, num. 12. qui docet quatuor testes non probare sufficienter & plene hoc delictum; sed adversus Soulam tenet Acugna quest. 23. num. 11. à mod. Otta in summa, cap. 24. n. 11. ait dictum trium feminarum sufficere; sed ego puto hoc remittendum esse iudicio Inquisitorum, ut alibi docui, & ipsemet doctus Soula concedit, qui quidem omnia mature considerabunt, quia cum in hoc crimine proceditur, ut in crimine hæresis, ubi testes non publicantur, atque ideo plenus defensionis ordo non conceditur, semper timeri potest ne innocens damnetur, quamvis quilibet testis singularis sit probatissimus, ignorum tamen est iudici, quid illi à reo obijci potest. Ita Soula n. 7. unde diligenter omnia perpendant sacre fidei Inquisitores in casibus contingentibus.

RESOL. LXVI.

An si aliquis sub sigillo naturali sciat ab aliquo mulierem fuisse sollicitatam à tali Confessario, teneatur illam denunciare?

Et quid in casu heresis formalis? Ex part. 1. tract. 4. Ref. 24.

§. 1. Negativè respondet, ex Societate I a s u, F. S. gundes de præcept. Eccl. tract. 2. lib. 4. cap. 3. num. 31. ubi sic ait: [Si huiusmodi sollicitatio sub secreto naturali sciat, denunciatio fieri non debet: nam, cum huiusmodi secretum non vergat in detrimentum proximi, & observatio illius aliunde sit de iure naturali; denunciatio autem tantum de iure positivo; fortius vinculum juris naturalis prævalere debet minus forti.] Hæc ille.

2. An ista sententia sit probabilis, videant viri docti: nam, si talis Confessarius non sit emendatus, vel non adsit spes emendationis per secretam correctionem, facile poterit alias feminas sollicitare: & ita tale secretum vergetur in damnum tertij, & Reipublicæ. Et sic notavit Freitas in addit. ad tract. de Confess. sollicit. quest. 21. num. 26. quod quidam Confessarius per decem annos perdidit, & effrenatè sollicitationibus, & turpibus actibus in ipso Confessionis loco operam dederat, per quod tempus à nulla sollicitata delatus est. Ideo puto in tali casu, si ipsa mulier hoc non fecerit, talem Sacerdotem esse ab altero, qui hoc scit, etiam sub secreto naturali, denunciandum. Et de hoc, in casu heresis formalis, non est dubitandum, & contrarium asserere esset falsum: idcirco, si aliquis sciat, aliquem esse hæreticum, vel ab ipso, vel ab alio, etiam si dederit fidem, & iuramentum adhibuerit, de non manifestando secreto, tamen tenebitur revelare.

RESOL. LXVII.

An quis excusetur à denunciatione Confessarii, si hoc sciat sub sigillo secreti? Ex part. 4. tract. 5. Ref. 32.

§. 1. Affir